

## DISPUTATIO VI.

### DE PERSONIS DIVINIS.

#### CAPUT I.

##### DE PERSONIS DIVINIS IN COMMUNI.

##### ARTICULUS I.

QUENAM UNIVERSIM NOSCENDA, TENENDA ET PREDICANDA SINT DE PERSONIS  
DIVINIS IN COMMUNI?

362. *Dico I.* Occurrentium circa Trinitatem vocabulorum ac terminorum, tum significationem tum usum rite perspicere oportet.

*Οὐσία*, *Essentia* ab *esse* dicitur, et pro quidditate rei seu conceptu formali ac ratione constitutiva sumitur: *φύσις*, *Natura* a *nasci* derivatur, et vel pro principio motus seu operationis qualiscumque, vel pro prædicatorum omnium complexione, qua res in certo quodam ordine entium constituta est, accipitur: *ὑπόστασις*, *Existencia* ab *existere* profluit, et non tantum simpliciter pro reali extantia, sed etiam pro modo existendi, maxime præcipuo, usurpatur; unde et *substantiam* significat, quatenus hæc est ens per se subsistens, nec aliquo indigens tanquam subjecto. Hæc etymologiae diversitas non impedit, quominus *essentia*, *natura*, et *substantia* in præsentia materia, ad datum a Patribus exemplum, jam pro eadem re a Theologis sumantur: quamvis alia acceptionis varietas, qua *essentia* in physicam ac metaphysicam distinguitur, prior autem nunc philosophice nunc theologicæ usurpatur, non sit negligenda.

*Πρόσωπον*, *Persona* est rationalis nature substantia individua sive ultimo terminata; h. e. completa, seu suas habens partes, et incommunicabilis, seu non unita alteri sive ut pars, sive ut perfectibile quid. *Suppositum* hoc solo a persona distinguitur, quod tribuatur etiam substantiæ non rationali. *Personalitas* et *suppositalitas* sunt formæ utrique constituendo correspondentes. *Υπόστασις* et *substantia* ambiguum olim significationem habuerunt; jam pro *essentia*, jam pro *persona*, apud diversos supponentes: post seculum quintum invaluit usus, ut *hypostasis* personam, *substantia* essentiam, velut

ex instituto denotaret: *subsistentia* tamen rationem formæ relinuit, quæ hypostasis sive persona conficiatur.

*Πρόβασις*, *Processio* universim est origo, emanatio vel productio unius ab alio; speciatim autem in Trinitate est *immanens*, cujus scilicet principium extra se ipsum non progreditur, seu operatur, sed terminum intra se manentem habet: item *perfecta*, h. e. sine notione causalitatis, ac dependentia: denique *metaphysica*, quatenus differentiam naturæ non facit, sed est cum communicatione essentiæ ejusdem.

*Ἀποστολή*, *Missio* est processio mox descripta, unius Personæ ab alia in ordine ad aliquem effectum novum ad extra producendum; sive is sub aspectum cadat, ac sit sensibilis, sive interius peragatur, et sensus externos non afficiat.

*Κοινωνία*, *Communicatio* est processionem Personæ concomitans naturæ communitio, h. e. non decisio, non profusio aut multiplicatio naturæ similis aut distinctæ, sed ejusdem numero naturæ, a principio data principiatio, extantia.

*Περιχώρησις*, *Circuminsessio* est mutua divinarum Personarum coexistentia in se invicem, quæ, præter inseparabilem distinctorum Suppositorum conjunctionem, identitatem aut identicam extantiam denotat.

*Ἰδιώμα ὑποστατικόν*, *Proprietas personalis* est peculiaris subsistendi modus, quo Persona in esse determinatur ac constituitur. *Ἰδιώμα σχετικόν*, *Proprietas relativa* vel *Relatio* est similis modus, quo ordo originis et Personæ oppositio, seu *esse ad* exprimitur. *Ἰδιώμα οὐσιαστικόν*, *Proprietas notionalis* seu *Notio* est ratio objectiva, qua Persona designatur et dignoscitur ab alia.

Ex his nascuntur *potentiæ*, *actus*, *termini* sive *essentiales*, sive *personales*, sive *relativi*, sive *notionales*, prout vel essentiam, vel Personam, vel relationem, vel notionem, vel quid ad hæc pertinens, aut significant, aut connotant, aut pro eo supponunt. Ea vero possunt esse *abstracta*, quæ expriment formam sine subjecto; vel *concreta*, tum *substantiva*, quæ non significant formam ut adjacentem, sed per modum substantiæ; tum *adjectiva*, quæ significant formam ut adjacentem, seu per modum habiti aut habentis esse in subjecto: ita tamen, ut et concreta adjectiva vicissim *substantive* accipi possint.

363. *Dico II.* Sequentia fidei scholæque dogmata velut totidem circa Trinitatem axiomata habere decet.

I. Vera Dei essentia existit, eaque datur tantum unica. Ratio *utriusque* desumitur ex dictis hoc et priori Tractatu, ubi existentiam Dei, illius unitatem, atque tribus Personis identitatem realem ac propriam ostendimus.

II. Ratio Personæ proprie reperitur in Divinis; et convenit Patri, Filio et Spiritui sancto. Ratio *primi*; quia Personæ ratio est perfectio simpliciter simplex, utpote quæ essendi et existendi perfectionem sine imperfectione ac sine alterius perfecti exclusionem designat: quod ipsum Ecclesia definivit in Concilio Lateran. IV. c. 2. et Tolet. XI. in Præfat.; recepit autem in usu Symboli Athanasiani. Ratio *secundi*; quia Patri, Filio et Spiritui sancto incommunicabilitatem convenire, dicetur statim: reliquas autem personæ conditiones iisdem adesse, constat ex art. 1. disp. et cap. prioris.

III. Datur in Divinis vera processio, eaque duplex. Ratio *primi*; quia Joan. 8. 42. Christus de se, ut Verbo, dicit: *Ego ex Patre processi*; Joan. 15. 26. autem de Spiritu sancto: *qui a Patre procedit*: præterea in Symbolo canitur de Filio: *Deus de Deo*; de Spiritu sancto: *qui ex Patre Filioque procedit*. Hæc autem processio, quæ est cum identitate ejusdem numero naturæ divinæ, est immanens, perfecta et metaphysica. Ex eadem ratione, a Patribus Græcis in Decreto Unionis Concilii Flor. admissa et declarata, dum Patrem sæpe dixerunt *causam*, hoc vocabulo non indicasse cum Arianis dependentiam Personæ, aut differentiam naturæ, sed contra Sabellianos distinctionem Personarum duntaxat declarasse constat. Ratio *secundi*; quia processionis pluralitas sive desumatur a distinctis procedentibus, sive a principiis distinctis, sive ab actionibus aut formaliter aut virtualiter distinctis, sunt duæ et non plures. Tot enim et non plures sunt procedentes, scilicet Filius et Spiritus sanctus; cum Pater sit principium sine principio, nec possibile sit sui ipsius principium: tot et non plura sunt principia, scilicet principium generationis seu Pater, et principium spirationis seu Pater una et Filius, unica spiratione agentes: tot et non plures sunt actiones, scilicet intellectio et volitio, utraque infinita, ac proin neque per aliam, neque per multiplicatam actionem immanentem augenda.

IV. Missio proprie dicta convenit soli Filio et Spiritui sancto: improprie dicta Personis omnibus: utrobique missus specialiter fit præsens. Ratio *primi*; quia de missione Filii Joan. 3. 16. et c. 6. 58. et de missione Spiritus sancti Joan. 14. 26. ac c. 15. 26. Scriptura mentionem facit; nullibi autem de missione Patris, utpote qui prima missionis conditione caret, cum ab alio non procedat. Ratio *secundi*; quia si missio inadæquate ac pro externa solum Personæ efficacia quadam sumatur, mittere etiam dicitur, qui non est principium, et mitti, qui non procedit; uti in Synodo Tolet. XI. Filius dicitur *missus a Patre, se ipso, ac Spiritu sancto*, atque tota etiam Trinitas legitur venire juxta Joan. 14. 23. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et mansionem apud eum faciemus*. Ratio *terti*; quia in utraque missione Personis divinis tribuitur novus existendi modus et præsentia, non præcise per immensitatem aut indistantiam operativam, sed vel per habitudinem personalem, ut est in Incarnatione; vel per specialem manifestationem, ut factum est in apparitione columbæ, et linguarum ignearum; vel per inhabitationem ac permanentem possessionem, ut fit in justificatione et glorificatione; vel per aliud quodcumque donum, vi cujus Persona divina foret substantialiter præsens, etsi per impossibile ob immensitatem alias ibidem non adesset.

Ad alterutram missionem referebant Patres antiqui *Theophanias* in Vet. Testam. memoratas. Et quidem ad *propriam*; qui dicebant ubique apparuisse Verbum, in ascitio corpore præludens Incarnationi: ad *impropriam* illi, qui Patrem etiam apparuisse statuerunt. Ad neutram retulerunt, qui cum Augustino L. 2. de Trin. c. 9. et seqq. apparitiones ejusmodi Deo quidem ut causæ principali, angelis vero ut causæ ministeriali adscripserunt. Omnes tamen differabant ab Arianis, qui Patriarchis ac Prophetis apparuisse dicebant Verbum ex natura sua visibile ac corpore proprio præditum, et proinde a Deo, qui invisibilis est, distinctum atque creatum.

V. In divinis datur communicatio naturæ, et circuminsessio Personarum.

Ratio *primi* habetur ex fecunditate simul et unitate naturæ divinæ, quæ productionem Personarum plurium, sine naturarum multiplicatione, sed cum identitate ejusdem numero naturæ, in personis omnibus profitemur. Unde FAUSTUS RHEGEN. in ep. 7. ad Ruric. de Patre et Filio scribit: *Una origo est et fontis et fluminis: ex his, quæ absque initio habent, communio est, transfusio non est.* Et HILAR. L. 6. n. 13. de Trin. *Nativitas autem Dei, quæ ex Deo in Deum extitit, non quæ non erant tenet; sed quæ Dei manebant et manent, obtinuit veritate nascendi. Non ergo qui non erat (al. qui erat) natus est; sed ex his atque in his, quæ Dei erant, Deus natus extitit.* L. 7. n. 31. *ibid.* autem inquit: *Filius in Patre est et in Filio Pater, non per transfusionem refusionemque mutuam, sed per viventis naturæ perfectam nativitatem.* Ratio *secundi*; quia Christus, dum Joan. 14. 10. dixit: *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est; et c. 17. 1. Sicut tu Pater in me, et ego in te;* non mutam duntaxat secundum mentis conceptum comprehensionem, nec solum præsentiam intimam localem, sed, ob naturæ unitatem, inseparabilem Personarum conjunctionem, et identicam ac quasi materialem inexistentiam declaravit, ut Patres ap. PETAVIUM L. 4. de Trin. c. 16. exponunt.

VI. In Trinitate Personalitates seu proprietates personales sunt tres, scilicet Paternitas, Filiatio et Spiratio: Relationes reales seu proprietates relativæ sunt quatuor, nempe Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva: Notiones seu proprietates notionales sunt quinque, nimirum Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio tum activa, tum passiva. Ratio *primi* est: Dantur in divinis tres Personæ; ergo et dantur tres personalitates: quia Personæ personalitatibus determinantur et constituuntur. Sed illæ tres Personæ sunt Pater, Filius et Spiritus sanctus; ergo et personalitates illæ sunt paternitas, filiatio et spiratio; quia Patrem paternitas, Filium filiatio, Spiritum sanctum spiratio passiva determinat formaliter, ac constituit.

Ratio *secundi*. Ubi sunt duæ processiones, ibi sunt duo producentia et duo producta: ubi sunt duo producentia et duo producta, ibi sunt quatuor relativa; quia sicut producens est alicujus producens, sic productum est ab aliquo productum: ubi sunt quatuor relativa, ibi sunt quatuor relationes; quia relativum per ordinem, habitudinem ac relationem constituitur. Sed in Deo sunt duæ processiones: item duo sunt producentes, scilicet Pater et principium spirans; nec non duo producta, nempe Filius et Spiritus sanctus seu spiratus: ergo etiam est paternitas, qua refertur Pater; filiatio, qua refertur filius; spiratio activa, qua refertur principium spirans; spiratio passiva, qua refertur Spiritus sanctus. Atqui hæc relationes sunt reales; tum quia nemine cogitante unum referunt ad alium: tum quia fundant distinctionem realem in relatis; ergo.

Ratio *terti*. Ad veram Notionem requiritur 1º. ne sit quid commune saltem Personis omnibus, quia Personam discernit: 2º. ut importet aut denotet dignitatem, quia Persona dignitatis nomen est: 3º. ut pertineat ad originem, quia hæc fundat distinctionem Personarum. Hæc autem omnia conveniunt non tantum paternitati, filiationi et utrique spirationi, sed etiam innascibilitati, utpote quæ Patris specialiter convenit, ob ascitatis significationem character est dignitatis, et ad originem spectat. Hæc ipsa vero excludunt reliqua: conditio quidem prima quodlibet attributum absolutum; secunda ingene-

rativitatem filii et improductivitatem Spiritus sancti; tertia innascibilitatem essentiali. Porro ad excludendos actus notionales statuunt aliqui conditionem quartam, ne scilicet aliquid per modum viæ aut tendentiæ prædicetur: alii tamen his, nempe actione generativa et spirativa, concedunt discerni Personas in fieri, negant in facto esse. Denique licet nomina Verbi et Imaginis Filium, Doni et Amoris Spiritum sanctum etiam discernant; tamen vel synonyma sunt cum filiatione et spiratione, vel ab iisdem adæquate acceptis includuntur.

364. *Dico III.* Cautelas nonnullas, in prædicationibus circa Trinitatem adhibendas, subjectæ regulæ complectuntur.

I. Abstinentum est a vocabulis sive naturæ multiplicationem inferentibus, sive Personarum pluralitatem negantibus. Hinc 1º. non est dicendus *Deus triplex, ter Deus, omnis vel aliquis Deus*; quia vocabula hæc numeralia et partitiva multiplicatam appellati rationem indicant: nec 2º. *Pater est Deus unicus, Deus solus, Deus solitarius*; quia duo priora Personarum numerum, posterius Personarum consortium tollit. Potest tamen 3º. dici *Deus trinus*; quia hæc vox appellati modum, non rem multiplicat. Ob hanc appellationis proportionem servatam preceatur Ecclesia, *sancta Trinitas unus Deus*; Conc. Later. IV. dicit: *In Deo Trinitas est, non quaternitas*; Symbolum Athanasii statuit *unitatem in Trinitate, et Trinitatem in unitate venerandam*; Hymnus etiam canit: *Te trina Deitas inaque poscimus* etc. Item dicitur *Persona triplex, aliqua Persona, Pater solus generat, solus Deus est æternus* etc.

II. Cavendum ne tollatur naturæ communicabilitas aut simplicitas; dum Personis tribuitur distinctio aut proprietas. Hinc 1º. non dicitur *Deus singularis, nec tria in Deo individua*; utpote quibus naturæ incommunicabilitas asseritur: nec 2º. Pater esse *aliud, diversus, dispar, discrepans, aut alienus a Filio*; quia his distinctio naturæ indicatur: nec 3º. Personæ esse *divise, aut separate, nec unite aut conjuncte* prædicari debent; siquidem naturæ unitati ac simplicitati repugnant. Attamen 4º. Conc. Tolet. XI. (Lab. t. 6. p. 542. B.) proficitur Personas *Deum singulariter* dici; Later. IV. *alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum* concedit; statuitque, *ut distinctiones sint in Personis et unitas in natura.*

III. In nullo sensu abstracta relativa prædicantur de relativis; quia sibi opponuntur realiter; unde falsum est: *Paternitas est filiatio, aut vicissim.* In sensu identico prædicantur abstracta essentialia de abstractis tam relativis, quam essentialibus; quia sensus identicus ad statum realem pertinet, ubi essentia cum prædicatis omnibus identificatur: quia ex ratione etiam utraque abstracta de concretis essentialibus prædicantur. Ideo Conc. Rhemense ab Eugenio III. celebr. (Lab. t. 10. p. 1108.) *Credimus et confitemur simplicem naturam Divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas.* Porro in numero plurali abstracta quidem relativa prædicantur de concretis relativis; in singulari autem tantum abstracta essentialia: illa enim multiplicantur tanquam realiter distincta, hæc autem minime; quare vera est propositio: *Tres personæ sunt tres substantiæ vel bonitates relativæ; falsa autem: Tres personæ sunt tres deitates, omnipotentia, immensitates* etc.